



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

61. Redemptoris, & Domini &c. Indulgentia Plenaria perpetua pro
Visitantibus in quocumque anni die Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum
Domus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

mo nonagesimo quinto, tertio decimo Kal. Augusti
Pontificatus Nostri Anno Quinto.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Campinus.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio

Anno à nativitate D. Nostri Jesu Christi millesimo
sexcentesimo nonagesimo quinto, Indictione tertia, die
verò vigesima Julii, Pontificatus autem Sanctissimi
in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Innocentii
Divina providentia Pape XII. Anno Quinto, Supra-
dicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas
Ecclesie S. Joannis Lateranensis, Basilica Principis
Apostolorum, & Cancellaria Apostolica, in Acie Cam-
pi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis,
per me Gregorium Straggium ejusdem Sanctissimi D. N.
Pape Cursorem.

Ita est Joh. Grecus Magister Curs.

LXI.

Indulgentia plenaria perpetua pro Visitantibus in
quocunque anni die Ecclesiam Sanctæ Mariæ
Angelorum Domus Fratrum Ordinis Minorum
Sancti Francisci de Observantia propè, & extrà
muros Civitatis Assisientis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgen-
tia Plena-
ria quo-
cunq; die,
ut in Ru-
brica.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi vi-
ces, licet immeriti, gerentes in terris Cœle-
stium munerum thesauros, quorum dispensatio-
nem humilitati nostræ commisit Deus, fidei pruden-
tisque liberalitate libenter erogamus, sicut pia
sublimium Principum præclaris in Ecclesiam Dei
meritis fulgentium, ac Religiosorum Virorum pro-
pria, alienæque saluti laudabiliter incumbentium
vota postulant, & Nos ad augendam, fovendam-
que fidelium pietatem profuturum in Domino ar-
bitramur. Itaque Spirituali Christifidelium ad Ec-
clesiam Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupatam Do-
mus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de
Observantia nuncupatorum propè, & extrà muros
Civitatis Assisientis assidue (ut accepimus) ex uni-
versis Christiani Orbis partibus devotionis causâ
confluentium consolationi, atque animarum salutis,
quantum cum Domino possumus, benignè consu-
lere, necnon dilecti Filii Bonaventuræ Poërii Mini-
stri Generalis dicti Ordinis supplicationibus, etiam
totius Ordinis prædicti nomine, Nobis super hoc
humiliter porrectis, quibus piæ, atque enixæ plu-
rium Orthodoxorum Principum preces, in idipsum
tendentes accessere, favorabilem assensum præbere
cupientes, ac de Omnipotentis Dei misericordia,
& Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus au-
toritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifi-
delibus ad Ecclesiam supradictam, sicut præmittit-
tur, confluentibus, qui illam verè penitentes, &
confessi, ac Sacra Communione refecti, in quo-
cunque anni die devotè visitaverint, & ibi pro
Christianorum Principum concordia, hæresum ex-
tirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione
pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium
peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem
misericorditer in Domino concedimus. Præsenti-
bus perpetuis futuris temporibus valituris. Volu-
mus autem, ut earundem præsentium literarum
transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu

alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo perso-
næ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis,
eadem prorsus fides ubique locorum habeatur,
quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent ex-
hibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S.
Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18.
Augusti 1695. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

J. F. Card. Albanus.

Indulgentia plenaria perpetua pro Visitantibus in
quocunque anni die Ecclesiam Sancti Francisci
Domus Fratrum Ordinis Minorum ejusdem San-
cti Francisci Conventualium nuncupatorum Ci-
vitatiss Assisientis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commisæ Nobis à Domino Nostro Jesu Chri-
sto dispensationis ratio exigit, ut cœlestium
munerum thesauros, ad augendam in terris Sancto-
rum in Cœlis regnantium venerationem, fovendam-
que, & incitandam erga illos fidelium devo-
tionem, fidei prudentia, quantum Nobis ex alto
conceditur, erogare studeamus. Itaque eximia,
omnisque humanæ laudis præconium longè super-
gressa Sancti Francisci Confessoris, qui terrenis
omnibus despectis, Cœlestis gratiæ benedictione
repletus, innumeris mirabilium virtutum exemplis
Sanctam Dei Ecclesiam illustravit, & hominum
corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charita-
tis igne succendit, merita, pio, devotoque animi
affectu recolentes, necnon Spirituali Christifidelium
ad Ecclesiam ipsius Sancti Francisci Domus Fratrum
Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Conventua-
lium nuncupatam Civitatiss Assisientis in qua Sacrum
ejus Corpus requiescit, assidue (ut accepimus) ex
universis Christiani Orbis partibus devotionis causâ
confluentium consolationi, atque animarum salutis,
quantum cum Domino possumus, benignè consu-
lere cupientes, ac de Omnipotentis Dei miseri-
cordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum
ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utrius-
que sexus Christifidelibus ad Ecclesiam supradictam,
sicut præmittitur, confluentibus, qui illam verè
penitentes, & confessi, ac Sacra Communione re-
fecti, in quocunque anni die devotè visitaverint,
& ibi pro Christianorum Principum concordia, hæ-
resum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exal-
tatione piæ ad Deum preces effuderint, plenariam
omnium peccatorum suorum indulgentiam, & rem-
issionem misericorditer in Domino concedimus.
Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.
Volumus autem, ut earundem præsentium litera-
rum transumptis, seu exemplis etiam impressis,
manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo
personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ mun-
itis, eadem prorsus fides ubique locorum habeat-
ur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent ex-
hibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud San-
ctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die
18. Augusti 1695. Pontificatus Nostri Anno
Quinto.

J. F. Card. Albanus.

Constitutio, quâ, ad tollendum abusum illicita-
rum Capitulationum, quas occurrente vacatio-
ne Ecclesiarum, seu Monasteriorum, ab iis, ad
quos electio personarum illis præficiendarum
spectat, interdum fieri contingit, innovantur

Dat. 18.
Aug. 1695.
P. A. S.

LXII.

Indulgen-
tia Plena-
ria, ut in
Rubrica.Dat. 18.
Aug. 1695.
P. A. S.

LXIII.

Con-